

ausser der kleinen Schrift „die Anfänge der Bursfelder Benedictiner-Congregation“ von Evelt noch keine Geschichte dieser berühmten und hochverdienten Congregation. Sicherem Vernehmen nach denken die rührigen und literarisch thätigen Beuroner-Benedictiner von Maredsous in Belgien diesem Mangel abzuhelfen.

Aus dem ehemaligen Klosterarchiv der Benedictiner zum hl. Nikolaus in Prag.

Mitgetheilt von Ferd. Tadra, Scriptor der k. k. Universitäts-Bibliothek zu Prag.
(Schluss aus Jahrgang XI, Heft 1, Seite 68—92.)

Fasciculus V.

Fabri.

Num. 1. Faber ordinarius, accepit per 19 annos ab a. 1687 usque ad a. 1708 1514 fl. 26 kr.

Num. 2. Faber serarius, Joannes Georgius Knobloch, civis et serarius Pragensis, quem iam ab a. 1695 (et forte jam antea) pro monasterio continuo laborasse comperio et qui hactenus pro eodem monasterio (scribo vero hoc a. 1732) laborat, non computatis laboribus eius pro novis monasterii aedificiis, ut nova abbatia, refectorio utroque, novo conventu, seraturis in novis praediorum aedificiis factis, accepit tamen a monasterio ab a. 1695 usque ad a. 1708 1072 fl. 49 kr.

Num. 3. Faber lignarius pro 4 annis usque ad a. 1698 accepit 44 fl. 8 kr.

Num. 4. Faber aerarius annos habet specificatos 1690, 1691, 1694, 1695, 1696, 1698, 1707 et accepit: 128 fl. 57 kr.

Fasciculus VI.

Opifices quidam alii, ut sartor, statuarius, piscatrix, smigmator, hortulanus, horologarius et aliae expensae.

Num. 1. Sartor. Hic non habet (quia communiter suum habebat monasterium in monasterio et agebat simul domus praefectum, qui meo tempore fuit Georgius Chrasstiansky) nisi pro a. 1698 et uno anno anonymo 5 fl. 41 kr.

Num. 2. Statuarius. Consignatio quid datum fuerit d. statuario Matthiae pro novo tantum ferme altari a. 1710 erecto, id est 534 fl. Item domino Reifenzammer statuarius, qui habitabat in domo nondum nostra ad Auream faciem dicta pro quibusdam cyradis, cuius deinde filius ecclesiasticus factus in nostra ecclesia habuit primitias, nimirum 40 fl., in una summa 574 fl.

Num. 3. Piscatrix. Pro duobus duntaxat annis, anno nimirum 1688 dominae Catharinae Ssgrafferianae 117 fl. 15 kr. 3 Pf. et

a. 1693 dominae Judithae Klotzianae 222 fl. 41 kr. 3 Pf. pro piscibus, in una summa 339 fl. 56 kr. 2 Pf.

Num. 4. Smigmator. Non habet consignationes nisi duorum annorum 1703 nimirum et 1709 89 fl. 4 kr. 3 Pf.

Num. 5. Hortulanus accepit anno innominato pro seminibus 3 fl. 21 kr.

Num. 6. Horologiaro pro aliquo horologio transfuso 4 fl. 48 kr.

Num. 7. Quietantiae aquaticae pro aquaeductibus ad monasterium ab a. 1674 usque 1716 (desunt pro tribus annis) per 4 fl. 40 kr. cum reparatione de a. 1699 199 fl. 5 kr.

Num. 8. Alumnis archiepiscopalibus pro ministerio in 5 annis 21 fl.

Num. 9. Sabbathales a. 1700. Habebat domina Dorothea Raucziana, quondam conjunx d. Mathiae Rauczka, fratris nostri d. abbatis Mauri, tres filios, unum Venceslaum, alterum Benedictum et tertium Joannem, de quo infra; prior se male gessit et quo post severam castigationem devenerit nescio, alter factus est pictor, de quo superius fasc. I. Num. 4. Hi duo frequentabant scholas triviales et forte etiam soror Anna, quae in nostro caemeterio sepulta est, pro quibus Sabbathales cantori solvit monasterium per 2 fl.

Num. 10. Pro hordeo monasterium nostrum a. 1708 dedit 375 fl.

Num. 11. Bibliopega a compactura certorum librorum ex pecunia ecclesiae a P. Benedicto Possiwal de a. 1694 et 97 accepit 44 fl. 30 kr.

Num. 12. pro lignis (probabiliter pro nova abbacia) ab a. 1707 vi contractus hic jacentis monasterium domino Dubsky dedit 664 fl. 42 kr.

Num. 13. Expensae pro Joanne Rauczka (nepote R^{mi} d. Mauri) schmigmatoriam edocto per 40 fl.

Num. 14. Diversae expensae de a. 1693 24 fl. 57 kr.

Num. 15. a. 1698 Obligatio d. Mauri abbatis super 5 vasa cerevisiae, quae domino Lausan pro musicalibus donatis appromisit et dedit. Et haec illa sunt impressa musicalia, mera Italica, quae hactenus regens chori apud se habet, ex quibus vix non tantum Bassaniana sunt producibilia, sed nec haec amplius curantur nato iam stylo longe festiviore.

Num. 16. Expensae pro aedificio Chodoviensi residentiali circa a. 1693 552 fl. 24 kr.

Num. 17. Funeralia pro d. Mathia Rauczka, fratre nostri d. abbatis Mauri a. 1695 pie defuncto, quantum computare potui conficiunt 31 fl. 24 kr.

Num. 18. Spanzetl pro Excell. d. doctore Voita Phil. et Med. doctore, monasterii nostri ordinario; et hoc deputatum eius

fuit loco pecuniae annue solvendae. Ubi nota: Hunc d. doctorem mansisse in aedificio, quod quondam sibi aedificaverat in monasterio nostro Rev. d. Thomas visitator Braunensis eamque suam residentiam vocaverat, ut alibi notatum est. eratque in domo antiqua vulgo parochia, ubi nunc stat nova abbatia statim e regione portae ecclesiae et e regione domus ad Album cervum dictae, sed e qua idem d. visitator deinde a d. Mauro tandem expeditus fuit. Hanc habitationem gratis habebat idem d. doctor, quia praeter medicinalia etiam in musicis choro multum praestabat, erat enim praecellens (pro eo tempore) compositor, praesertim in affectuosis, ut hactenus ex musicalibus ipsius apud p. chori regentem detentis, sed amplius in usu non existentibus, videre est, per quem proinde primo apud S. Nicolaum florere coepit musica. Ei a. 1701 mortuo et in nostra crypta sepulto virgabilis tum adhuc puer Wenceslaus Jacob, qui ei ex partitura describebat, in compositione succedere volebat et re ipsa post magnas vexas et irrisiones toleratas post aliquot annos successit, factus deinde in hoc eodem monasterio religiosus et sacerdos ac regens chori, vocatus in religione Guntherus, horum et totius archivi compiler. In medicinalibus vero successit et fuit monasterii ordinarius Excell. d. doctor Jäkl, pariter praeclarus musicus et fidicen Romae doctus, vir valde facetus, cui nihilominus amoto et physico Neo-Urbensi facto successit Excell. d. doctor Buchmann, qui tempore pestis a. 1713 monasterialibus ad manum fuit et cum P. Gunthero Jacob, nolente dici hypochondriacum, qualis tamen erat, continuas tricas habuit. Ei post pestem subitanea morte defuncto successit Excell. d. doctor De-Mage, vir magnae prudentiae et sedulitatis; displicuit nihilominus post aliquot annos eique Excell. d. doctor Carolus Knirpandl, physicus Vetro-Pragensis, surrogatus est a. 1730, qui est et hactenus habetque annue salarii nomine 24 fl.

Summa Summarum omnium hic specificatarum expensarum	21.993 fl. 53 kr. 5 Pf.
Adde ob multas serius inventas aquaticas quiettantias supra Num. 7	192 fl. 50 kr. 5 Pf.
	<hr/>
	22.186 fl. 43 kr. 5 Pf.

Num. 19. a. 1718. Memoriale d. architecti Viti Venceslai Kanka ad Ven. P. Benedictum Possiwal, huius loci priorem, in quo petit residuam mercedem laboris sui pro exaedificato hyemali refectorio, supra quod memoriale eidem d. Kanka a Rev. P. Isidoro tunc provisore enumerati sunt 30 fl. 28. Februarii a. 1718 et quidem pro inspectione aedificii de a. 1712, 1714 et 1715, ita ut nec ille nec haeredes eius quidquam habeant, quod praetendant. Porro hic Kanka hic ille aedilis et architectus est, qui abbatiam novam, novum hyemale refectorium et totam novam monasterii structuram primitus delineavit et re ipsa

dictam novam abbatiam et refectorium exaedificavit. Conventum vero novum ab a. 1727 uti et restaurationem antiqui conventus, aestivale refectorium, braxatorium Popovicense et residentiam Misskovicensem, prout et nunc novam ecclesiam exstruxit et exstruit praenobilis ac generosus d. Kilianus Dintzenhofer, qui hoc (quo scribo 1732) anno etiam jussu Majestatis Caes.-Regiae domum invalidorum pro emeritis militibus extra portam Porziczensem exstruere coepit et pleraque alia tum Pragae tum extra Pragan celeberrima dirigit aedificia, ut hoc eodem anno monasterium Braunense, Cladrubiense et annis proxime elapsis Joanneum sub rupe, ecclesiam s. Joannis Nepomuceni na Skalce e regione Emaus, ecclesiam s. Thomae Micro-Pragae ille ad hunc splendorem deduxit, prout et ecclesiam convictus s. Bartholomaei hoc eodem anno.

Fasciculus VII.

Accessorius, quia scripta tardius inventa. Diversa adhuc ad artifices, opifices spectantia et alia, quae videbantur huc appertinere.

Nr. 1. a. 1680 Quiettantia Nicolai Malha officialis in Popovitz supra 2 fl. 30 kr., quibus soluta sunt sibi duo rhismata chartae.

Nr. 2. 1682 Quiettantia monasterii s. Galli super 26 fl. domino Sobieslawsky ex legato pro piscibus solutos.

Nr. 3. 1682. Quiettantia a capitaneo Lübnensi supra 10 fl. solutos pro 1 sexog. asserum.

Nr. 4. 1683 Quiettantia super 60 fl. in defalcatione totius summae a ceroplasta Gedliëzkiana.

Nr. 5. 1683 super soluto integre labore in Popowitz a fabro lignario facto.

Nr. 6. 1687. Quiettantia super 56 fl. in cerevisia acceptos data a domino Schott.

Nr. 7. 1699. Petitio domini Sebastiani Halter ad d. Maurum abbatem de Vienna, ut pro pedo d. Carolo Günther 135 fl. extradat, quos etiam ipsi extradidit.

Nr. 8. 1700, 7. Aprilis. Recognitio d. Danielis Krumlovsky super 200 fl. a monasterio s. Nicolai pro d. Ferdinando Nowotny a se susceptos.

Nr. 9. 1704. Quiettantia domini Wittigschlager balneatoris super 20 fl., quos pro primo termino ad edocendum et ex-disciplinandum Martinum Stecher d. abbas Maurus eidem balneatori dedit. Ubi nota: praedictum Martinum Stecher fuisse ephebum apud eundem d. Maurum eumque apud eundem post sui ex-disciplinationem serviisse pro camerario; cumque a. 1713 tempore pestis a facultate medica absolute et strictissime prohibitum fuisset, ne peste infectis mittatur vena, eo quod sanguis sanus

dimitteretur, spissus et infectus remaneret in corpore, ille Martinus Stecher Popovicii cum Reverendissimo domino existens, quotquot pestiferis tempeste dimisit venam, omnes salvavit et brevi post pestem ipsemet physicus, nescio ubi, mortuus est.

Nr. 10. 1705. Quiettantia super 24 fl. a Rev. d. Mauro commissariis et domino Stammersky pro habito labore in legitima procuranda Rev. P. Bernardi Mika solutos.

Nr. 11. 1707. Quiettantia d. baronissae Engelflusianae super 30 fl. a Rev. d. Mauro pro sua nepte Anna Raucziana pro victu solutos.

Nr. 12. 1708. Quiettantia officii Sex-Viratus super 2 fl. 20 kr. ob ligna in tummelplatz collocata.

Nr. 13. 1709. Quiettantia d. Caroli Kulik pictoris super 100 fl. susceptos a monasterio pro deuratione novi altaris majoris, cum assignatione ad mercatorem pro auro per 150 fl. Adjacet quiettantia d. Petri Brandl super 30 fl., quos suscepit pro imagine pingenda s. Barbarae in nostrae ecclesiae altari eidem sanctae erecto, quam quia non pinxit, debuit eos restituere d. pictori Holbox, de quo supra fasc. I. Num. 4. Hic celeberrimus omnino et per totam Europam famosus pictor Petrus Brandl ecclesiam s. Margarethae Brzewniovii mire sua pictura exornavit et passim alibi memoriam sui tam cito non abolendam post se reliquit. Utut vero in pictura fuit et hactenus est virtuosissimus, ita in virtute liberalitatis et generositatis fuit nimius, nam qui grandia capitalia conflare poterat, ob plurima debita nimium profusus ac liberalis vix tandem certo loco consistere ausus fuit; familiaris erat compilatori horum.

Nr. 14. 1710. Generalis quiettantia domini Allio, magistri lapidarum super solutum sibi omnem debite laborem habitum in erectione novae abbatiae.

Nr. 15. 1710, 20. Decembris. Contractus cum domino Dubsky pro 10 ratibus lignorum ad vineam applicandorum, quamvis ratem (»vor«) pro 11 fl. solvendo facit 110 fl. (junge hunc numerum cum N. 12 fasciculi VI. huius litterae).

Nr. 16. Quiettantia Stukatoris super 50 fl. in defalcatione sui laboris in nova abbatia.

Nr. 17. Lanio. Consignatio duplex lanionis pro carnibus de a. 1711—1713 supra 662 fl. 27 kr. solutos.

Nr. 18. Sellio. Consignatio eius pro a. 1712 13 fl. 14 kr.

Nr. 19. Medicus. Quiettantia Excell. d. doctoris Adami Augustini Jeckel, monasterii nostri ordinarii supra 150 fl. ex octenni labore sibi datos, remittendo liberaliter 42 fl., cum alias 192 fl. ei obvenissent.

Nr. 20. Quiettantiae tres domini Schober chyrgi super

annuus 24 fl. sibi pro hebdomadaria barbitonsione et sectione venarum datos.

Nr. 21. Quiettantia Benedicti Raučzka super acceptam suam hereditatem in summa 75 fl.

Nr. 22. 1648. Samueli Weishun sculptori pro sculpendo s. Nicolao in integra phylira a Rev. d. Zdislao Berka promissi 30 imperiales, quam sculpturam ad festa pentecostalia idem sculptor spondet fore paratam, super quos 30 imperiales accepit 10 anticipato.

Nr. 23. 1617. Quiettantia super 15 sexag. ultimi termini a domino Baworowsky quibusdam fratribus Neo-Pragensibus Welwarsky dictis solutas.

Contractus diversi (Archivi lit. Q. fasciculus IV).

A^o. 1693. Contractus cum d. Joanne Christophoro Lisska, archiepiscopi Pragensis pictore, vi cuius pro maiori ara ecclesiae s. Nicolai Vetero-Pragae pinget duas imagines, unam maiorem et alteram minorem, pro quibus monasterium ei promittit 300 fl.

A^o. 1701 in effectum deductum a. 1709 et 1710. Contractus cum d. Georgio Löwenstein Micro-Pragensi arculario, super faciendo novo majori altari pro ecclesia s. Nicolai, praeter tabernaculum, ita ut ligna det sua, pro quo monasterium ipsi spondet 500 fl.

A^o. 1701. Contractus cum d. Matthaео Venceslao Jekl statuario super erigendo novo altari maiori in ecclesia s. Nicolai et conficiendis statuis, pro quibus arcularius (ut supra) dabit ligna; pro quo labore monasterium ei spondet 490 fl. in parata pecunia, 4 vasa cerevisiae et 2 modios farinae triticeae et siligineae per unum modium.

A^o. 1709. Contractus cum d. Carolo Kulik pictore super deaurandum bono auro altare majus novum ecclesiae s. Nicolai, pro quo ei appromittuntur 700 fl., quos solutos esse monstrant quiettantiae continue annexae.

Item cum eodem a. 1682 pro deaurando altaris s. Josephi in capella pro 120 fl.

Organum ecclesiae s. Nicolai V. P.

Contractus duplex de novo apud s. Nicolaum organo erigendo, primus de a. 1659 sub Rev. d. Matthaео Ferdinando a Bilenberg, tunc temporis monasteriorum s. Nicolai et s. Johannis sub rupe abbate, deinde protoepiscopo Reginae-Hradecensi et tandem archiepiscopo Pragensi; secundus de a. 1685 sub Rev. d. Mauro Raučzka. Primi organi artifex fuit d. Hieronymus Artmann, organifex Pragensis, tenebaturque ad organum ponere 8 mutationes, ad positivum 5 et ad pedale 4, insuper tenebatur

addere unum positivum mensale, pro quo labore ei promittit d. abbas in parato 350 fl. Quod vero jam ante hoc opus organicum aliquod organum in nostra ecclesia videatur fuisse, exinde colligo, quod jubeatur artifex dicti organi antiquos folles reparare et tres novos adjicere. Hoc Artmannianum organum non stetit nisi 26 annis, cum Rev. d. Maurus Rauczka illud deponi et aliud longe pulchrius fundamentalius atque sonorius ab eodem aut saltem discipulo eius, qui Teynense organum fecit, artifice Henrico Mundt fieri curavit, 13 una cum positivo mutationum soni ut gravis ita svavis et praesertim praeclari principalis. Corpus ut vocant listas habuit deauratas et status diversis exornatum fuit, in hoc vituperabile, quod fuerit nimis angustum, ut difficillimus ad fistulas, si ubi quid haesisset, fuerit accessus, tunc fuit alti, puta Zinkethon, unde cum Pragae Cammerthon vel tonus — ut vocant — gallicus invaluisset, apud s. Nicolaum ut pariter fides uno tono dimissius concordarentur vocesque deprimerentur, organista exponere ac una clavi dimissius ludere coepit, prout in hodiernum practicatur. Expendit pro hoc organo d. abbas in parata pecunia 365 fl. 54 kr. 4 $\frac{1}{2}$ Pf. unacum 100 imperialibus, quos magistro pro labore dederat, qui magister una cum duobus suis et uno arculario socio victum habuit in monasterio, et ille quidem cum religiosis. Antiquum organum ei fuit additum et omnia materialia pro novo organo a monasterio data. Pro status supradictis et cyradis dedit d. abbas a. 1686 fl. 50 et quae antea ibi nostri ordinis sanctorum stabant statuariae ad s. Margaretham sunt venditae. Quia porro claviatura huius organi profunde et duriter cadebat, aliquot a diversis organificibus in eo fuit reparatum, sed nunquam debite, donec dominus Leopoldus . . . (sic) organifex Cubitensis (qui praeclarum illud novum opus Cladrubii et illud in choro choralistarum penes sacristiam ad dextram altaris maioris ecclesiae s. Viti in castro Pragensi erexit) illam claviaturam non tantum alleviasset, verum etiam tracturas positivi, quae a tergo organistae ludentis e positivo versus altare maius prominente prostabant, pro meliori organistae commoditate ad organum traxit et transtulit, omnibus omnium mutationum fistulis novum acumen seu — ut vocant — Schneidl addidit, adeo ut praesertim de nocte organum hoc usque ad Teyn cum magna consolatione vicinitatis ex gratiosa organi ad Te Deum et alia choralia in matutino canonico consonantia auditum fuerit. Pro hoc labore idem d. Leopoldus praeter victum cum socio suo amico non accepit nisi 30 fl. Alius quoque organifex Casparus Neumann dictus circa a. 1703 ex hoc organo flauttnam exemit et eius loco Salicinale imposuit, dando ad hoc omnia sua necessaria et nihil inde habens nisi victum, etiam a. 1708 folles in eo reparavit. Donavit praeterea monasterio non tantum unum regale, sed etiam novum parvum positivum trium mutationum, quo deinde jam

Hrnczirzii jam Popovicii monasterium usum fuit, donec vendito Chodow et Scheberow ad instantiam d. emptoris baronis Goltz illud ei a Rev. d. Anselmo donatum fuisset. Alius quoque organifex A . . . (sic) follium organi tracturas a fenestra chori figuralis, ubi pedibus deprimebantur, ad ipsum corpus organi transtulit manibus per funes trahendas, volensque facere fortius pedale (quod omnino debilius et non nisi duarum mutationum erat) illud quasi medium abscidit et quod tectum erat aperuit, quo tamen parum prosperatus est. Suprafatus organi artifex Henricus Mundt praeter organum etiam fecit positivum trium mutationum satis fundamentale, quo nunc, organo majori deposito in ambitu conventus inferiori vices templi obeunte, utimur. Dum enim hoc quo scribo 1732 anno ecclesia nostra diruenda et reaedicanda sub 16. Aprilis totale pateretur excidium, organum quoque non sine nostra desolatione eadem die, erat feria quarta paschatis, a Rev. P. Isidoro Wawak, emerito monasterii nostri organista et provisore, depositum atque singillatim per mutationes et fistulas ad cellam conventus choro choralis contiguam humi collocatum fuit, dum prius Rev. P. Leonardus ultimus in eo vespas, Rev. P. Isidorus vero ultimus vesperi Regina R. feria tertia paschatis lusisset. Quia porro nova magna ecclesia novum magnificum organum (ut pote quod est decus ecclesiae) requiret, hinc speramus, hoc aliunde jam antiquatum organum cassatum novumque in gallico — ut vocamus — tono cum spatioso corpore in novo et respectu prioris notabiliter humiliato choro erectum iri.

Ut vero etiam de organistis mentionem faciam, ab a. 1695, quo anno monasterium intravit d. Antonius, nunc Rev. P. Isidorus Wawak, usque post pestem a. 1713 continuus fuit organista chori nostri idem Rev. P. Isidorus, deinde eo provisoriatus officio saepe occupato coadjutores accepit aliquem Ditrich Nixdorfensem brevi mortuum, Josephum Soph deinde musicae rectorem in Thermis Carolinis, Wenceslaum Peter Misensem dein Plassii professum, Wenceslaum Zisska, qui novitiatum ingressus hic necdum indutus receptui cecinit et viam fecit Josepho nunc patri Leonardo Taul, qui ab a. 1723 officium organoedae virtuose exequitur, substitutum habens fr. Gregorium Marek, nunc diaconum et penes praeclarum tenoristam et fidicinem, officium regentis chori jam ab a. 1705 obeunte horum compilatore P. Gunthero Jacob.

Lit. P.

Asylum concernentia.

Quanquam plurimi jam, etiam magnorum criminum rei, praesertim sub regimine d. Mauri ad monasterium nostrum s. Nicolai veluti ad civitatem refugii se salvaverint et miris quandoque modis ex eodem rursus ex practicati et in tuto collocati

sint, de nullo tamen hactenus archivaliter constat, nisi de duobus: Josepho Liebmann et Antonio Vätter, quia nimirum olim de talibus ad asylum confugis nulla consistorio fiebat notificatio ac proinde nulla cum eo scriptorum communicatio. Postquam vero consistorium Pragense jura ordinarii, ad quem de constitutione Gregorii XIV, quam deinde a. 1725 Benedictus XIII confirmavit et auxit, discussio causarum asylum concernentium privative pertinet, manutenere coepit, ubi primum aliquis ad monasterium nostrum se salvavit, statim de eo notitia consistorio dari debuit, quod commissarios trans mittebat, qui examinato asylante relationem dederunt consistorio, hoc vero deinde dijudicavit, an talis asylans asylo gaudeat nec ne. Et horum hic sunt duo: 1. Josephus Liebmann, filius et civis Pragensis, studiosus nequitiarum magis quam litterarum, qui rixarum et forte caedium reus ad monasterium confugit et nihilominus jam in asylo constitutus noctu per urbem grassabatur, donec 5. Augusti a. 1723 circa horam 10 mam noctis ex monasterio exivisset et ab excubiis in Nova civitate post Bergstein deprehensus iisque se opponens ac tribus ex iisdem vulneratis ad arrestum acceptus, sequenti die veluti civis ad curiam Neourbensem deductus fuisset, ubi sat longo tempore in custodia habitus, tandem liberatus et ibidem scriba sanguinis factus est.

2. Antonius Vätter miles gregarius praesidii Pragensis legionis Sickingianae, qui quomodo salvatus sit, mihi non constat.

Lit. Z.

Instrumenta primaevae foundationis tam originalia quam copialia seu: Bullae pontificiae, Majestates, Diplomata Imperatorum et regum Boëmiae litteraeque diversae.

Argumentum.

Ecce tibi originem et primaevam foundationem monasterii Slovanensis vulgo in Emaus ord. s. Benedicti et consequenter monasterii (ad quod post 288 annos iidem Benedictini translati sunt) s. Nicolai Vet. Praegae, cuius foundationis primaeva instrumenta seu monumenta, dum ipsum monasterium in haeresim husiticam incidisset et 163 circiter annis in eadem haeresi perdurasset, in celario quodam, ut refertur, recondita aut potius abjecta a Paulo Paminonda demum primo rursus catholico abbate ad initium saeculi XVII. (mortuus est enim dictus Paminondas a. 1607) pristinae luci restituta sunt. Prima ergo foundationis nostrae a Carolo IV. factae littera est de dato 1347 22. Novembris in festo s. virginis et martiris Caeciliae, musices patronae; translatio ex eo facta est a. 1635, 8. Junii. Sunt igitur hoc quo scribo 1732 anno a fundatione nostra anni 385 et aliquot supra unum

mensem dies, nam scribo hoc 29. Decembris. Quoniam vero pleraque foundationis instrumenta originalia in archivo reperiantur et hic conscripta habeantur, quia tamen quaedam eorum deperdita sunt, quae tamen in Descriptione exordii, processus et status temporanei monasterii Slovanensis ab adm. Rev. P. Benedicto Possiwal, primo monasterii s. Nicolai Vetero-Pragae professo et priore, compilata et usque ad a. 1378 deducta et imposterum a quodam sedulo religioso ulterius continuanda, habentur, idcirco deperdita instrumenta hic extractive adiungo et quo ordine inter scripta collocanda essent, si in originali adessent, fideliter consigno.

Desideratur igitur :

1. Ratificatio seu recognitio capituli Wissehradensis de a. 1368, 12. Maii, vi cuius renunciat dictum capitulum juri patronatus in ecclesiam SS. Cosmae et Damiani (quae fuit in claustralem Slovanensem erecta) e contra suscipit dictum capitulum datam sibi a Carolo IV. collationem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem ecclesiarum in villa ecclesiae Wissegradensis dicta Chrustoklath et in Wočiez (sic) oppido cum capella s. Nicolai extra oppidum sita. Haec proinde recognitio collocanda fuisset infra post Num. III.

2. Desideratur Caroli IV. donatio temporaria non perpetua decimae omnium pecuniarum, quae de ungelto vini in Majori civitate Pragensi regi obveniunt; quia enim idem Carolus IV. ante assignatum censum e macellis Neo-Pragensibus Num. 4. iisdem macellis ad aliquot annorum spatia utpote neoerectis libertatem seu exemptionem a censibus dedit et ideo postea monasterium Slovanense de assignato ex iisdem censu nihil percipere potuit, hinc interim, donec illi libertatis anni effluerent, dictam decimam monasterio assignavit; datum in Isnacho 1349. Inde est, quod deinde a. 1359, ut tandem istum censum monasterio ex dictis macellis solverent, marcam assignatam minuerit ad valorem dumtaxat 56 et non (ut in donatione Num. 4. assignaverat) 64 grossorum, uti etiam videre est Num. 14. Donatio ergo illae decimae locanda esset post Num. 4., mutatio vero marcae post Num. 13., in qua ultima litera pariter a Carolo IV. decernitur et mandatur, ut 10 macella Novae civitatis Pragensis ex loco suo inter ecclesiam s. Lazari et coemeterium Judaeorum ad alium locum in perpetuum non transferantur. Datae sunt hae Carolinae literae in Karlstein a. 1359, 16. Cal. Augusti.

3. Desideratur donatio Carolina de a. 1349 12 marcarum regalium ex civitate Kurimensi et recognitio eiusdem civitatis x.

4. Desideratur donatio duplex Carolina duarum Lhotarum, quarum prima est Stagiczka, altera Milostina a possessoribus earum sic dictarum de a. 1349 et 1350, sicut et recognitio super

cessionem villae Mylostinae, unde Lhotae illae duae, de quibus Num. 12. sunt Lhotae aliae, dictae mediae, quas nunc possident Crucigeri a ponte.

5. Desideratur privilegium Caroli IV. de dato Pragae a. 1349, in quo liberavit monasterium Slovanense ab omni teloniorum solutione perpetuis temporibus in toto suo regno, specialiter vero in Zupanowicz, Branik, Podol, in Podskal, in ponte Pragensi circa hospitale Crucigerorum et circa portam Minoris civitatis Pragensis sub castro versus Strahof, quae dicebatur nigra, statim supra ecclesiam s. Leopoldi Cajetanorum, quae porta non adeo pridem (nam ego scriptor horum eius adhuc recorder) totaliter et rasa.

6. Desideratur donatio Carolina duarum villarum Morzina dictarum de a. 1352, quarum una (ut habetur Num. 12) a Wenceslao rege pro duabus Lhotis mediis, altera vero pro villa Okrauhly (quod ultimae commutationis instrumentum pariter in archivo non habetur) est commutata.

7. Desideratur donatio Carolina 10 marcarum census annui ex macellis Vetero-Pragensibus pro scriptore librorum monasterii Slovanensis, quamdiu in iisdem libris et cantibus scribendis laborando perseveraret, de anno 1356.¹⁾

8. Desideratur recognitio Stiborii burggrabii in Dobrziss, forestarii regis Boëmiae, bona monasterii Slovanensis in districtu Podbrdensi (inter quae sunt Lhotae) una cum eorum incolis esse exempta ab omnibus robotis in dominio Dobrzissensi peragendis, de quibus omnibus fusius legere est in dicta descriptione originis Possiwalianae, substantia tamen rei tota huc est extracta. De Lhotis plene vide lit. C.

Reliqua a Num. 45, quae facta sunt in — et post translationem (de quibus hic in primo titulo) huc collocata sunt, quia in lit. seu titulo Y, ad quam alias spectassent, non invenerunt locum.

Num. 1. Septimo idus i. e. 9. Maii litterae seu bulla Clementis VI. P. M. archiepiscopo Pragensi Ernesto committentis, ut ad instantiam Caroli IV. Imperatoris (quem pontifex duntaxat marchionem Moraviae nominat) monachis Benedictinis aut cuiusvis alterius ordinis a sede apostolica approbati Slavonicae nationis in uno tantum Boemiae loco vel illius confinibus, in eorum lingua Slavonica et vulgari missas legendi et horas canonicas decantandi x. autoritate sua apostolica facultatem concedat. Est originale. Datae sunt Avenione quarto pontificatus sui anno, unde dubium esse potest, an sint datae 1346 vel 47; hoc certum est, quod mox alleganda fundatio Carolina hanc bullam primo sit consecuta.

¹⁾ Die als fehlend bezeichneten Urkunden Nr. 2—7 findet man bei Pelzel Karl IV. Bd. I. S. 95—106 und Bd. II. S. 385.

2. A^o. 1347 decimo Cal. Decembris i. e. 22. Novembris festo s. Caeciliae sacrae litterae primae foundationis monasterii Slavorum ord. s. Benedicti Neo-Pragae, datae de Norimberga a Carolo IV. ad Arnestum archiepiscopum Pragensesem, in quibus dictum Arnestum admonet, ut iuxta facultatem a summo Pontifice ei factam in Nova Civitate Pragensi erigat monasterium ord. s. Benedicti, qui in lingua Slavonica duntaxat officia divina peragant pro honore s. Jeronymi, Cyrilli et Methudii, Adalberti et Procopii, quibus religiosis confert ecclesiam parochialem SS. Cosmae et Damiani, cuius jus patronatus ad ecclesiam Wissegradensem pertinebat; praeterea eis assignat: sexdecim marchas grossorum denaviorum Prag. annui et perpetui redditus supra macella carniium Minoris civitatis Pragensis anno quolibet capiendum, item in villa Gencz 33 marchas, item allodium seu curiam in villa Valew seu Wallow cum aratura et quatuor marchis reddituum x. Deinde sub attestatione divini iudicii admonet suos successores, ut hanc foundationem non diminuunt sed augeant, si quis autem contra attentare praesumpserit, praeter incurrendam maledictionem Dei omnipotentis ut plagis scriptis in libro vitae se sentiat percussum. Haec proinde foundationis littera incipit »Rex magnificus,« cuius originale hic non habetur, sed in archivo archiepiscopali Pragensi. Hic proinde sub Num. 2. duae sunt simplices copiae, quarum una in fine attestatum continet, monasterium Emautinum seu Slovanense a. 1372 feria 2. Paschae a Joanne archiepiscopo Pragensi in praesentia Aug. Imp. Caroli IV. et Ser. regis Boemiae Wenceslai aliorumque principum teste Hagecio fol. 346 consecratum esse. Alia huius litterae copia a magistratu Neourbensi vidimata habetur ordine prima inter alias Vidimus infra Num. 34. Attamen quia adest originale privilegium apostolicum mediante archiepiscopo Arnesto concessum et hic sub Num. 3. consignatum, cui dicta littera Carolina Rex magnificus per extensum inserta est, unde idem est ac si originale adesset.

3. Instrumentum erectionis huius monasterii.

A^o. 1348 decimo nono Cal. Januarii seu 14. Decembris privilegium autoritate apostolica ab Arnesto archiepiscopo Pragensi monachis Benedictinis nationis Slavonicae a Carolo IV. fundatis concessum, tam missas quam horas canonicas idiomate Slavonico in eorum ecclesia persolvendi, proinde vi huius privilegii ecclesia SS. Cosmae et Damiani antea parochialis instituitur et fit claustralis cum potestate eligendi abbatem x. Jus vero parochiale illius cum plebe et aliis ipsius pertinentiis transfertur ad ecclesiam s. Nicolai in Podskal per modum incorporationis et unionis, ita ut memorata plebs per rectores eiusdem s. Nicolai ecclesiae jure parochiali regatur. Reservat sibi tamen dictus archiepiscopus pro se et successoribus suis in supradictos monasterium, abbatem

et fratres eorumque successores in perpetuum superioritatem spirituales omnimodam in visitationibus, in inquisitionibus, conventionibus, punctionibus et absolutionibus caeterisque omnibus, quae ad ipsum archiepiscopum ex commissi pastoralis officii debito supra alia monasteria ac abbates et conventus ordinis s. Benedicti praefati Pragensis dioecesis pertinere noscuntur de consuetudine vel de jure. Deinde recognoscit et fatetur possessiones et redditus a Carolo IV. dicto monasterio datos. Originale.

4. A^o. 1349, 15. Cal. Februarii i. e. 18. Januarii Caroli IV. litterae et donatio in originali et copia super una marca gravis ponderis 64 grossos in se continente monasterio Slovanensi assignata de quolibet macello Novae civitatis Pragensis census annui et perpetui. De his et reliquis Pragensibus lanionibus, quae successive cum iis acta sunt, habentur omnia conscripta in singulari libro »Compilatio de censu persolvendo monasterio Slovanensi a lanionibus« intitulato, quae in compendio clare annotata habentur in conscriptione archivi lit. X. fasc. 3.

5. Ab a. 1349 et sequentibus. Fasciculus de pago seu villa Gencz olim monasterio Slovanensi proprio, nunc monasterio nostro s. Nicolai adhuc cen nali, de quo quanquam exstet liber »Compilatio de Gencz« dictus, ubi negotium hoc fuse describitur, hic tamen (ne ullibi desim) enucleate et compendiose rei notitiam pandam. Ex primis foundationis litteris supra Num. 2. allegatis constat, Carolum IV. monasterio Slovanensi ex Gencz assignasse 33 marchas. Desuper a. 1349 idem Carolus IV. a quodam Leubliano ex eadem villa in Gencz emit 5 laneos cum eorum pertinentiis eaque monasterio Slovanensi donavit liberavitque ab oneribus et censibus, quibus Minori urbi Pragensi obstricta erat, ut testantur tum ipsi Micro-Pragenses per recognitionem, tum Leublinus per cessionem in hoc fasciculo contentam. Abbas monasterii Slovanensis tunc erat Joannes seu Ivanus, sub cuius regimine Moldava mersus est s. Joannes Nepomucenus. Rursus a. 1355 Carolus saepefatus in eodem Gencz donavit monasterio eidem duas curias cum duabus araturis et 25 marcas ex eodem Gencz, ut patebit Num. 10. Vendidit deinde a. 1395 Paulus secundus abbas (cum priore Kržiž, qui in abbatia successit et iam Hussita fuit) et cum conventu villam illam cum quinque laneis pro 65 ss. (= Schock) gross. Prag. duobus emptoribus in jus emphiteuticum sub certis censibus et conditionibus, quae deinde rursus ad alias manus devenit renovato tamen contractu cum abbate et conventu, in quorum uno contractu praeter dictum Kržiž priorem etiam nominatur Petrus Smolka, Gregorius Rzičzansky. Anno deinde 1409 Paulus II. permutavit hanc villam cum iisdem laneis consentiente Wenceslao rege pro una curia in Czakovitz cum duabus araturis, una piscina et jure patronatus parochialis ecclesiae ibidem, cuius Wenceslai

regis consensus habetur in dicto libro »*Compilatio de Gencz.*« Reliquum vero de pago Gencz monasterio Slovanensi appertinente cum aliis pagis ad alios pertinentes rex Sigismundus oppignoravit cuidam Waniek Zeleny pro 300 ss. gross. Prag., ex qua oppignoratione abbas Slovanensis 7 ss. quidem redemit, sed quia pro eadem redemptione quidam Wenceslaus Czwok 68 ss. concessit, hinc 7 illae ss. venerunt consequenter solvendae Czwokio et post illum Sophiae de Drażowicz et tandem 1474 collegio Carolino Vetro-Pragensi, cum quo collegio Joannes Nożnika abbas propter dictum Gencz frustra litigavit. A^o. 1591 hunc pagum post collegium possedit quidam d. Gothardus Florianus Zdiarsky, quem Matthaeus Philonomus abbas Slovanensis ad iudicium citavit, ut ediceret, quo jure pagum Gencz possideret; verum quia ipse dictus abbas deinde in citatione non comparuit, jussu Joachimi Kolowrath camerae praeside infamiter per iudicem et lictorem ex civitate eductus et regno proscriptus, hinc nihil ex hac re factum est. Ab anno deinde 1608 Zdiarskyana familia aliquem ex Gencz monasterio censum solvere coepit. Joannes Benno a. 1613 ursit restitutionem totius praedii Gencz, verum frustra, et successor illius d. Bawarowsky se pariter insinuans a d. Zdiarsky ex Rubro Augezdecz census Gencziani nomine accepit 16 ss. 34 gross. mis. Similiter totidem sexagenas accepit idem d. Bawarowsky a. 1615 et quasdam etiam a subditis censualibus ex Gencz. Anno 1620 inspectio fuit facta villae Gencz sed sine effectu et deinde omnis census rursus mansit suspensus, donec admonitus d. Franciscus Eusebius Zdiarsky comes de Sora a Rev. d. Matthaeo Ferdinando a Bilenberg jam nominato episcopo Reginae-Hradecensi a. 1661 ex 17 annorum retento censu loco 200 fl. eidem d. Matthaeo solvit 150 fl. rogans, ut cum illis contentaretur, qui Zdiarsky de Sora in suis litteris (quae habentur hoc fasciculo) fatetur in regis tabulis reperiri, quovis anno ex Gencz monasterio 14 ss. mis. esse solendas; quod vero tantum 14 ss. solvantur, provenit ex quadam transactione cum abbate Matthia haeretico et uxorato facta, quae transactio merito irritari deberet, prout d. Manner scriptum reliquit, sed nemo hoc hactenus movit et in hodiernum solvuntur annue duntaxat 14 ss. et quidem nunc a comite Bredau domini Litovicensis possessore. Sunt Originalia.

6. A^o. 1350, 5. Febr. Privilegium a Clemente Papa VI. abbati Slovanensi concessum utendi mitra, annullo et aliis pontificalibus insigniis juxta constitutionem Clementis IV. Originale.

7. A^o. 1350. Caroli IV. litterae super decima vini de vinea montis Petrini, quam quidam Merlinus Junossi quondam plantavit, monasterio Slovanensi donata, qui census et multi alii etiam jam

est amissus. Porro mons Petrinus vocabatur mons, in quo est nunc ecclesia s. Laurentii. Originale.

8. A^o. 1352. Caroli IV. litterae donantis monasterio Slovanensi quatuordecim marcas regales census perpetui in 14 macellis Micro-Pragensibus. Dant nunc 14 ss. Originale.

9. A^o. 1353 litterae Caroli IV. donantis monasterio Slovanensi ex silva sua regali sub monte Borziwog octo laneos sive mansos conditione tali, quod liceat ipsis (monachis) et eorum successoribus in perpetuum 4 vecturas lignorum roborum, quae vulgo floss appellari consueverunt, singulis annis, distinctis tamen anni temporibus, de supradicta silva deducere, conditione nihilominus infra scripta, quod unaquaeque vectura 60 tabulas et tabularum quaelibet sex robora sive ligna in se contineat et non ultra. Est originale.

10. A^o. 1355. Caroli IV. litterae. Donatio 8 macellorum Vetero-Pragensium, curiae unius in Wallow et duarum in Gencz cum certis redditibus, curiae Dobrawicz cum aratura et curiae Okrauhly cum vinea et duabus piscinis monasterio Slovanensi facta. Ex istis macellis Vetero-Prag. monasterium iam nihil accipit, de curia in Wallow vide Num. 47. de Gencz dictum est Num. 5, de Dobrawicz Num. 22 et 29, de Okrauhly Num. 24, quae curia fuit permutata pro una villa Morzina. Est originale.

11. A^o. 1360. Donatio unius horti monasterio Slavorum Neo-Pragae contigui, facta eidem monasterio ad instantiam Caroli IV. a priori generali ordinis s. Joannis hospitalis Hierosolymitani libere et spontanee. Originale.

12. A^o. 1365. Wenceslai regis litterae, quibus facit permutationem duarum Lhotarum, unius Chunczmanni Huchumstollen et Wenceslai de Knin cum duabus araturis, alterius vero Martini cum una aratura pro villa Morzina apud Carlstein cum appertinentiis, ita nimirum, quod dictas Lhotas monasterio Slavorum dederit, vicissim vero sibi villam Morzina et 220 sexag. paratae pecuniae acceperit a monasterio. (Hae sunt Lhotae mediae, quas tenent Crucigeri.)

13. A^o. 1368. Litterae Majoris civitatis Pragensis, quibus recognoscitur, fornacem cementi seu calcariam retro ecclesiam s. Wenceslai et retro fontem sub Puczka dictum in Nova civitate Prag. esse hereditatem propriam monasterii Slavorum. Haec fornax tempore haereseos quoque abalienata fuit, pro qua quidem recipienda se a. 1629 insinuavit D. Bawarowsky, verum (intuitu forte pecuniae salis, quae tunc instituebatur) sine effectu. Adjacet consignatio, quis et qui hanc fornacem successive possederint et quidem a. 1622 emit eam d. Paulus Michna de Waczinowa. Originale.

14. A^o. 1368. Litterae Majoris et Novae civitatis Pragensis,

quibus recognitum fuit, quod ex macellis Novae civitatis Prag. quorum 100 erant, totidem marcae, sed istae iam leviores quam antea, 56 nimirum grossos (antea continebat 64 grossos, vide Num. 4) singulae praecise in se continentes a lanionibus ejusdem novae civitatis Pragensis monasterio Slovanensi singulis annis solvi debeant. Est originale.

15. A^o. 1378. Venditio unius indaginis silvae regalis in silvis Kameicensibus monasterio Slovanensi ad agriculturam sub census onere post annos 12 primo pendendi pro 65 ss. a Stiborio burgrabio Dobržissensi de mandato Wenceslai regis facta. Originale.

16. A^o. 1378. Attestatio magistratus Novae civitatis Prag. de una area deserta a Volrico praeposito seu priore totoque conventu Slovanensis monasterii Petro Buschkowetz ejusdem civitatis civi vendita, reservato monasterio censu annuo ac perpetuo 40 gross. ab eodem Buschkowetz ejusdemque successoribus ex ea solvendo. Est Originale. Hic census injuria temporum pariter disparuit.

17. A^o. 1415. Litterae Wenceslai regis adigentis laniones Micro-Pragenses ad solvendum monasterio Slovanensi ex 14 macellis censum 14 marcarum regalium juxta privilegium eidem monasterio a Carolo IV. (ut Num. 8) desuper datum. Originale.

18. A^o. 1386. Recognitio Simonis Vorplit, civis et pistoris Novae civitatis Prag. census annui et perpetui super domo sua inter domos Brodsky et Valentae sita Paulo Sant pistori pro 5 sêxag. similium grossorum a se vendita eidemque ex ipsa solvenda. Originale. Littera difficulter legibilis. Sita erat domus haec in territorio monasterii.

19. A^o. 1389. Litterae seu quettantiae decani et capituli Metropolitanani super 10 ss. gross. Prag. unius sexagenae annui census ex Okrauhly a domino Paulo abbate monasterii Slavorum dicto capitulo solutas, sicque pro perpetuo liberatum fuit Okrauhly ab hoc censu, quo olim a. 1340 oneratum fuit a quodam Johelino, ut habetur in descriptione. Originale.

20. A^o. 1390. Recognitio Beth Krupnik civis Neo-Pragensis, suo, conjugis suae et successorum nominibus facta de media sexagena gross. Prag. census annui et perpetui in domo sua et area in platea stropharum inter domos Jacobi Pulerz et Thomasskonis fullonis sita civibus Vetero-Pragensibus Bohunconi institori et Joanni Neyzel vendita. Indubie similes domos fuisse censuales monasterio Slavorum, sed tempore haereseos abstractas.

21. A^o. 1392. Littera domini Joannis Pomuk ecclesiae metropolitanae decani et d. Joannis archiepiscopi Prag. in spiritualibus vicarii generalis, ratificantis exsolutionem census annui et perpetui 2 ss. gross. Prag., qui de domo cuiusdam

Hasconis et aliis septem domunculis sub monasterio Slavorum ei contiguis situatis pro altari ss. Wenceslai et Procopii in ecclesia s. Leonardi Vetero-Pragae ab eodem monasterio solvebatur et 20 ss. similium grossorum cuidam Onuczlikoni eiusdem altaris patrono a Paulo abbate fuit exsolutus.

22. A^o. 1395. Litterae quaedam duorum civium Neo-Pragensium Obermanni dictorum decernentium et asseverantium, pupillos cuiusdam Matthiae de Dubrawicz vel eorum tutores vel amicos aut posteros, nihil amplius in perpetuum habere, quod a Paulo abbate, Petro Smolka priore et a toto conventu Slovanensi praetendere possent, quod si tamen praetenderent aliquid, eo ipso statutam poenam seu mulctam incurrant.

23. Res ad pagum Rimanie pertinentes, nimirum: Extractus ex tabulis de Rimanie a. 1519 a Ludovico Boemiae rege cuidam Radislao Berzkowsky ex Schebirzow na Libichowie, supremo scribe regni Boemiae, donato; adjacent duae consignationes aliquot censuum monasterio Slovanensi ex illo pago solutorum, sicut et litterae a d. Benone visitatore ad d. Bawarowsky de a. 1628, in quibus informat, eum pagum Rimanie olim spectasse monasterio Slavorum, sed a possessoribus Libichovicensibus, dicto pago in districtu Litomericensi vicinis (quibus ab abbatibus Slovanensibus olim commissum fuit, ut si in pago Rimanie inter rusticos, quorum erant 5, dissensiones orirentur, illi possessores boni Libichowicz eiusmodi dissensiones componerent) deinde occupatum, quem proinde pagum d. Bawarowsky facile recuperare posset, praesertim cum subditi dicti pagi, si per d. abbatem a Libichovicensi dominio liberarentur, vellent annue dare monasterio 30 ss. Certum enim est, hunc pagum Rimanie olim spectasse monasterio Slovanensi, quem dum Ludovicus rex donasset dicto Radislao, una ei hoc onus imposuit, annuos ex eo proventus fideliter et ex integro monasterio solvendi (secus monasterium potestatem habeat se per Camerlingum in bonum mittendi, usque dum plene exsolvatur), nisi aliquid aliud aequivalens emeret et monasterio cederet, tunc enim Rimanie mansurum sibi proprium. Sub initio regiminis d. Joannis Manner possedit hunc pagum d. Franciscus de Scheidlern, regni Boemiae subcamerarius, qui ut et in hodiernum eius successores et possessores dicti pagi monasterio nostro census nomine solvit et hactenus solvunt annue ad festum s. Galli 10 ss.

24. Scripta de villa Okrauhly et de domo polentaria infra monasterium Slovanense, nimirum copiae contractus venditionis et villae et domus polentariae, deinde duae quiettantiae census annui 2 ss. ex dicta villa domino Bawarowsky soluti, item instrumentum donationis. Habuit enim quidam Joannes Meczirž Hnaat dictus super hanc villam Okrauhly apud Gallum z Kobilis

70 ss., quas dictus Meczirž A^o. 1505 Matthiae abbati Slovanensi donavit, ut eas quoquo modo evincat et sibi levet. De hac re incognitam adhuc litteram, quae dabit claritatem, lege in Registro literarum pag. 107. Nr. 95. — Ex Num. 10 patet, villam Okrauhly cum piscinis duabus et vinea spectasse monasterio nostro, sed quam abbas Wenceslaus Slovanensis cum suo haeretico conventu A^o. 1465 cum licentia (quanquam inferius stet: »prodával bez listu královského,« item »list jak jest z opatství ten kněz zsazen a listové jeho v nic obráčení«) regis Georgii vendidit cuidam Jacobo z Kobilis pro 12 ss. cum hoc onere, ut ex hac villa imposterum omni anno ad terminum s. Georgii 1 sexag. et ad terminum s. Galli alteram monasterio census nomine solvat. Dominus Bawarowsky hanc villam recuperare statuit et possessori illius domino Davidi de Czernhaus litem intentavit, unde annum censum 2 ss. ab eo quidem accepit, sed cum protestatione semper, ne hoc sit praejudiciosum suo juri, quod habet monasterium in dictam villam et appertinentias. Deinde vero hic census dari desiit, sed resuscitavit eum a. 1669 d. Joannes Manner et exhibito suo jure in scriptis restantias censuum accepit, a quo tempore in hodiernum a dominio Lübnensi, quod dictam villam Okrauhly, nunc dictam Stržisskow possidet, census iste (sed bis in anno per 2 ss.) persolvitur. Domum polentariam in Podskal multitis annis (ut ait contractus) desertam vendidit abbas Mathias Corambus domino Andreae Krbez a. 1505 pro 18 ss. gross. misn. cum onere 10 gross. misn. perpetui census monasterio nostro solvendi; iste vero census jam desiit dari, a quo tempore, non invenio.

25. A^o. 1400. Licentia Wenceslai regis ad commutandam per monasterium Slovanense villam Tuhan cum una villa et duabus araturis in Czakowicz, quae spectabat cuidam Seidl x. Orig.

26. A^o. 1403. Recognitio Jacobi piscatoris civis Neo-Prag. super 21 gross. Prag. census annui et perpetui de area sua inter domos Joannis Kossirz et Thomae Oraczkonis in Subskalo sita abbati Slovanensi et conventui ipsius a se pendendi. Orig.

27. A^o. 1403. Recognitio Thomae Oraczkonis civis Novae civitatis Prag. super 21 gross. Prag. census annui et perpetui de area sua penes domum Trhonie in Podskalo sita d. abbati Slovanensi et ipsius conventui solvendi. Orig.

28. A^o. 1407. Recognitio Joannis Kossirz civis Novae civitatis Prag. super mediam sexagenam gross. Prag. census annui et perpetui ex domo sua in Subskalo contra (e regione) domum Petri Schilhan et inter domos Slivisse et Wenceslai Czenichal sita et eiusdem area cuidam d. Ludmilae post quandam Wenceslaum pistorem viduae vendita. Orig.

29. A^o. 1409. Licentia Wenceslai regis Paulo Slovanensi

abbati data, curiam unam in Majori Genz cum quinque agrorum laneis et in villa Dubrawicze curiam alteram cum una agrorum aratura pro una curia in Czakowicz, duabus araturis et jure patronatus parochialis ecclesiae ac 52 ss. gross. Prag. census annui ac perpetui permutandi. Orig.

30. A^o. 1411. Licentia Wenceslai regis data abbati Slovanensi, ut certa bona sui monasterii in jus emphiteuticum vulgo Burgrecht exponere aut ea ad dies vitae quibuscunque personis pro summa 150 ss. gross. Prag. vendere, ac pro eadem summa 60 sexag. gross. similium census annui pro suis usibus comparare possit. Orig.

31. A^o. 1415. Obligatio Joannis braxatoris Novae civitatis Prag. civis, qua se obligavit, Matthiae Zlatniczky eiusdemque germano fratri ac eorum successoribus unam sexag. gross. Prag. census annui de domo sua et illius area inter domos Thomae Cerdonis et quorundam orphanorum sita perpetuo soluturum, ac etiam illi, qui hanc obligationem suos quoque successores ligantem cum eiusdem Matthiae et fratris illius voluntate haberet. Orig.

32. A^o. 1419. Obligatio Kudlatae Ollificis, qua se haeredesque suos obligavit, d. Wenceslao de Milostin, monasterii Slovanensis iudici eiusdemque haeredibus ac ei, qui hanc obligationem cum eiusdem de Milostin voluntate haberet, de domo sua inter domos Martini Koczur et Tumberzize sita eiusdemque area mediam sexag. gross. Prag. census annui ac perpetui soluturum. Orig.

33. A^o. 1437. Sigismundi Imperatoris et regis Boemiae confirmatio nonnullorum privilegiorum monasterii Slovanensis et 1. Caroli IV. de macellis Neo-Prag.; 2. eiusdem de decima vini ex monte Petrino; 3. Wenceslai regis de permutatione unius Morzinae pro duabus Lhotis; 4. Caroli IV. de octo macellis Vet. Prag. — In originali et copia.

34. Vidimata privilegia a. 1626 a magistratu Neo-Pragensi monasterii Slovanensis etc.

35. Copiae simplices foundationis, dotationis et privilegiorum monasterii Slovanensis etc.

36. A^o. 1480. Litterae seu recognitio Wenceslai abbatis et conventus Slovanensis super receptum praedium Urzad et silvas appertinentes, quod et quas quondam quidam Wenceslaus de Milostin a Wenceslao rege accepit et possedit et dictus Wenceslaus abbas iterum recuperavit. Porro hoc praedium acceperat idem Milostin sub abbate Krziž a rege Wenceslao, ut custodiret silvas a Carolo IV. monasterio donatas estque hic consignatum, quis post illum Milostin dictum praedium possederit et quomodo tandem concurrentibus aliis conemptoribus a suprafato abbate Wenceslao sit recuperatum. Originale.

37. A^o. 1496. Licentia Wladislai regis (vidimata hic a magistratu Vet. Pragensi a. 1582) data Wenceslao abbati elocandi certas domunculas cum hortulis earum in fundis eiusdem monasterii jacentes. Haec licentia a. 1631 inventa fuit inter scripta d. Joannis Horsky et monasterio restituta. (NB. una cum ipsa originali eiusdem Wladislai regis littera.)

38. A^o. 1550 in Febuario. Privilegium a Wladislao rege Boëmiae renovatum et jam olim a. 1347 a domino Gesska z Tetina et Celsiss. Joanne duce Carinthiae et Tyrolis comite Görlicensi cum facultate Caroli IV. regis Boemiae datum judici pagi Wraz in dominio Tetinensi et successoribus illius in perpetuum, in quo dictus judex cum aliquibus fundis suis ac cum jure venandi piscandi plena libertate donatur, adjunctis ei ad dirimendas lites tribus iudiciibus Majoris et Minoris Morzinae et ex Lodiegnicz, quod si Wrazdensis judex causam aliquam dijudicare non posset, ut salutet civitatem Beraunam, quae secundum leges juris causam definiet. A foris supra hoc privilegium stant haec verba per d. Manner abbatem: »Nullius momenti pro nostro monasterio.« Hoc privilegium eatenus videtur pervenisse ad monasterium, quatenus Morzina utraque olim spectaverit monasterio, quae deinde pro Lhota fuit commutata x. Originale.

39. A^o. 1546. Instrumentum venditionis unius prati monasterii Slovanensis inter fundos Dobrzißenses jacentis et Gezero dicti, a Joanne vero Nožnika eiusdem monasterii hussitico abbate cuidam Joannis Byssiczky arcis Pragensis burggraviæ subdito, Simon Hutny dicto, pro 20 ss. misn. venditi, reservato ipso monasterio censu annuo et perpetuo 20 gross. Hic abbas sic clausit hoc instrumentum: »Jenž jest dán v klášteře našem svrchu jmenovaném leta od narození syna Božihó 1546 v středu po sv. mistru Janu Husovi mučedlníku Páně.« Originale.

40. A^o. 1593. Testimonium nuncii apostolici Caesaris Spaciani episcopi Cremonensis de reconciliata ecclesia Slavorum ord. s. Benedicti in Nova civitate Prag. facta ex commissione dicti nuncii a Paulo Paminonda ibidem abbate. Aquam tamen pro ea reconcilianda citius benedixit idem nuncius et Paminondae transmisit. Orig.

41. A^o. 1611. Copia inventarii rerum ecclesiae Slovanensis ab officio sexviratus Neo-Pragensi eidem monasterio sub abbate Petro Lodereker et visitatore ordinis Wolfgango Zelender extrahitarum.

42. A^o. 1616. Transactio seu conventio cum lanionibus Neo-Prag., ut loco 106 ss. 40 gross. tantum 93 ss. 20 gr. monasterio Slavorum nunc s. Nicolai imposterum dentur ex eorum macellis annui et perpetui census. Orig. et Copia. Adjacet conventio abbatum Slovanensium Wenceslai et Matthiae ad dies vitae ipsorum abbatum cum lanionibus Neo-Prag. a. 1500 facta, quatenus ex eorum

macellis 30 ss. gross. Boem. monasterio suo census annui solverent, qui alias vi donationis à Carolo IV. factae ex unoquoque macello 64 gross. mis., in summa vero ex omnibus 106 ss. 40 gr. mis. solvere tenebantur.

43. A^o. 1627, 3. Maii. Transactio seu complanatio controversiae inter laniones Micro-Pragenses et monasterium Slovanense ratione census 14 marcarum 56 grossos singularum in se continentium ex 14 eorum macellis dicto monasterio solvendarum habita. Originale.

44. A^o. 1632, 5. Augusti Conventio d. Alexii Ravelly ord. s. Ambrosii per Boemiam generalis commissarii cum d. abbate Slovanensi Bawarowskio facta, qua d. abbas se ipsi obligavit singulis feriis quartis et singulis festis fori ac chori unam missam celebraturum, et is e contra illi singulis mensibus 4 florenos pro ista celebratione daturum. Orig.

45. A^o. 1635. Confirmatio translationis religiosorum s. Benedicti ex monasterio Slovanensi vulgo Emaus ad monasterium s. Nicolai Vetero-Pragae facta a Ferdinando III. Boemiae rege. Orig. (De qua vide fusius lit. T. fasc. 4.)

46. A^o. 1637. Negotium seu emptio et venditio domus ad viridem turrim dictae penes domum ad auream faciem, quam emit a. 1637 d. Joannes Benedictus Beraunsky abbas s. Nicolai a Rev. d. Casparo Questenberg abbate Strahoviensi et conventu illius. De hoc negotio brevem cape informationem sequentem: Anno 1629 idem d. Casparus Questenberg cum conventu suo emit dictam domum a Wenceslao Petraczka de Wokunstein et d. Joanne Dworsky z Gryffihory, ut plenipotentiaris Estheris Stangovianae de Labietina et prolium ejus pro 2500 fl. rhen. sub consulatu d. Joannis Worel. Eandem hanc domum neotranslatus ex Emaus d. abbas Bawarowsky emere voluit ab eodem d. abbate Strahoviensi manu desuper data, sed quia verbo suo idem d. Bawarowsky non stetit, gravissime expostulatoriam epistolam (quae hic adjacet) ab eo accepit, in qua adjungit: ne d. Bawarowsky se scribat abbatem s. Nicolai, si quidem ille abbas Strahoviensis huic transmutationi non subscripserit et ut metuat censuram ecclesiasticam, si se talem abbatem scripserit. Quae causa videtur fuisse, quod deinde a. 1647 novus in Strahov abbas d. Crispinus cum toto conventu hanc transmutationem subscripserit et confirmaverit, ut habetur lit. T. fasc. 4. Num. 18. Ergo a. 1637, ut ante dictum, eadem domus (quam hactenus dum haec scribo a. 1732 incolit noster d. abbas) empti fuit a d. Joanne Benedicto Beraunsky s. Nicolai abbate secundo, cuius emptionis et resp. venditionis contractus in orig. et cop. hic adjacet.

47. Terminative 1672. Scripta de villa Wallow et eius appertinentiis et de eius plena venditione facta a d. abbate

Manner a. 1672. De hoc negotio exstat quidem iam in folio descriptio sub titulo: »Consignatio 3^{ta} de assignatis eidem etiam monasterio in Wallow et ab eo rursus abalienatis,« cuius tamen compendium hic annectere placuit. Ex Num. 2. et 10. constat, Carolum IV. in duabus vicibus villam Wallow monasterio Slovanensi consignasse, quam deinde diversi abbates certis et diversis personis pro annuo censu elocarunt, ubi subinde non exiguae tergiversationes circa solvendum hunc censum intervenerunt, uti expertus est sub a. 1627 d. abbas Bawarowsky, a quo anno usque ad a. 1669 de hac villa nec amplius mentio ulla facta fuit, imo adeo venit in excisionem (probabiliter per Suecicum bellum), ut sub dicto 1669 anno nec locus assignari potuerit, ubi Wallow steterit, aut agri illius siti fuerint, siquidem dicti agri pene in silvas abierint, donec quidam rusticus Nicolaus Zaplatky dicto anno apud d. Manner se insinuasset et licentiam petiisset, succretos illos agros pro suo usu excolendi ac in iis seminandi, quod etiam ad duos annos gratis obtinuit. Desuper a. 1671 alius rusticus Maximilianus Printz pro eadem gratia rogavit et obtinuit, attamen pro censu annuo in primo triennio 10 ss., in secundo 12 ss. Porro notandum, agros illos Wallowienses jacuisse inter Hostiwicz et Gencz, qui duo pagi pertinebant domino in Kladna, qui fuit d. Eusebius Zdiarsky comes de Sora, quo mortuo tutor haeredis et simul cohaeres testamentaliter institutus fuit Excell. d. comes de Martinitz, qui primo jus monasterii in dictos agros dominiis suis interjacentes in dubium vocare voluit ex eo, quod determinari non potuerat, ubi Wallow extiterit aut dicti agri siti fuerint, facta tamen sibi a d. Manner remonstracione, villam Wallow in dominio eius extitisse et agros extare ubicunque demum fuerint aut sint, motus hac re d. comes, volens conscientiam suam exoneratam, dominium suum a tali praetensione purgatum et monasterio s. Nicolai etiam satisfactum, suggerente d. Manner medio, qui aliunde pro exsolvendo Popovicio pecuniis indigebat, contractum seu transactionem simul inierunt d. comes et d. Manner, vi cuius tantum de pecunia monasterio comes dare resolvit, quantum interesse illius pecuniae aequare posset annuos fructus dictae villae et agrorum et quantum quondam sub Paulo Paminonda a. 1605 quidam d. Adamus Lehner census annui dabat, nimirum 16 ss. mis., quae 16 ss. seu 18 fl. 40 kr. cum effluent ex capitali 310 fl., hinc cum licentia archiepiscopi Prag. et d. visitatoris Braunensis haec praetensio vendita est eidem comiti ut domino in Kladna pro dictis 310 fl., quos etiam d. comes rite persolvit. Unde monasterium nostrum non habet amplius quod praetendat.

48. A^o. 1674. Contractus emptionis et venditionis unius casae in pago Gzeslitz, vi cuius cum licentia Suae M^{ajestatis} et confirmatione archiepiscopali retro contractui annexa Rev. d.

Manner abbas s. Nicolai dictam casam (ex qua annue 3 ss. census nomine percipiebat) vendit R. ac Eximio P. Matthaeo Tanner S. J. collegii Clementini Pragae rectori pro 120 ss. mis. Spectat Czeslicium pagus, in quo dictam casam censualem habebat monasterium, Pruhonitzium, quae quomodo et cui fuerit antea elocata, videre est lit. F. inter Czakovicensia x. Orig.

49. A^o. 1691. Instrumentum confoederationis et participationis omnium bonorum operum inter monasterium Altenburgense Inferioris Austriae et monasterium s. Nicolai Vet.-Pragae, vi cuius post mortem cuiusque eiusmodi confoederati confratris pro anima ipsius unum officium defunctorum, una missa cantata de Requiem et a quovis sacerdote tres missae celebrando a fratribus vero audiendo et ab his etiam tria rosaria absolvi debent. Inita fuit haec confoederatio, dum Rev. d. Maurus Raučzka in causa bustorum judaicorum Viennae degisset et monasterium Altenburgense visitasset. Orig. et copia.

50. A^o. 1732. Instrumentum anniversarii perpetui, quo mediante obligavit se conventus s. Nicolai Vet.-Pragae pro se et posteris suis pro Rev. d. Anselmo Wlach, huius monasterii abbate, ob insignia sua in monasterium merita quotannis 22. Februarii, qui dies fuit eius natalis, quousque in vivis extiterit, missam solemnem cum ministerio solemni, ubi vero e vivis excesserit missam de Requiem die 22. Febr. proximo et non impedito aequae solemnem pro anima illius in perpetuum se celebraturum; vice versa statuitur, ut e proventibus monasterii conventui instruat pro perpetuo solatio dicta die talis mensa, qualis in festis primae classis instrui solet et debet cum solemni recreatione. Subscriptum a toto conventu et ratificatum gratanter a Rev. domino praedicto.

Münzen auf den heiligen Wolfgang.

Mitgetheilt von W. Schratz in Regensburg.

(Schluss zu Artikel I. in Heft IV. 1889 S. 627—643.)

B) Currentmünzen.

Man könnte mit Recht annehmen, dass die Regensburger Bischöfe dem hl. Wolfgang als Diöcesan-Patron auf ihren Currentmünzen den Ehrenplatz eingeräumt hätten; es ist dem aber nicht so. Lediglich städtische Currentmünzen sind es, auf welchen der Heilige als Patronus mit der Bitte »ora pro nobis« dargestellt ist und zwar von 1510—1525. Eine merkwürdige Ausnahme macht dann noch der Doppelgroschen von 1554, der den Heiligen führt, nachdem doch der Rath der Stadt im J. 1542 die Lehre Luthers officiell angenommen und mit allem